

dare et soluere comuni predicto integre cum effectu, omni exceptione remota in uenetis grossis, in tribus terminis, uidelicet, syngulis quatuor mensibus terciam partem precii supradicti, sub pena duorum soldorum per quamlibet libram secundum formam statuti, cum refectione dampnorum et expensarum litis et extra et sub obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum. Et insuper Siranus Formini et Stephanus Miche Dobri, precibus et mandato dicti Nichole emptoris, se fideiuersores et pacatores constituendo pro eo de predictis, promiserunt per se et eorum heredes et successores se facturos et curaturos taliter cum effectu quod dictus Nichola soluet et actendet et obseruabit omnia et syngula per ipsum Nicolam promissa, alioquin ipsi per se et de eorum proprio actendent, soluent et obseruabunt sub dicta pena cum refectione dampnorum et expensarum litis et extra et sub obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum. Actum in palacio communis, presentibus ser Theodosio Alberti et ser Çuctio condam domini Bochamaioris, testibus et Janne Egidii examinatore.

IX

1342, 12 maggio.

IV, I, 144.

(*Protocollo c. s.*). Die duodecimo maii. Venerabilis in Christo pater dominus Andreas Masciulo episcopus Scardonensis, coram reuerendo in Christo patre et domino domino archiepiscopo supradicto personaliter constitutus, produxit in scriptis protestationem infrascriptam, cuius tenor in omnibus et per omnia talis est:

In Christi nomine amen. Anno natuitatis eiusdem millesimo trecentessimo quadrigessimo secundo, inductione decima, pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini domini Benedicti duodecimi anno septimo et die duodecimo intrante mensis maii. In ciuitate Spaleti in eius archiepiscopali palacio, presentibus testibus infrascriptis etc. Coram uobis retiendissimo in Christo patre et domino domino Dominico, dei et apostolice sedis gratia dignissimo archiepiscopo Spalatensi, constitutus uenerabilis in Christo pater et dominus dominus Andreas eadem gratia episcopus Scardonensis, proponit et asserit in hiis scriptis, quatenus uidelicet, cum in quadam pecuniaria questione alias uertente coram uobis inter ipsum dominum episcopum, seu eius procuratorem ex parte una se defendantem, et quandam Marcum de Molino de Veneciis ex alia agentem, ipse dominus episcopus, licet post aliquas eius appellations a uobis legitime interpositas, extiterit per quandam uestram sententiam condemnatus in certa pecunie quantitate ac cum certis refectionibus expensarum eidem Marco soluenda in termino et sub excommunicationum sententiis in ipsa